

summa nominis sui cum gloria eo tempore gessit
 D. A L B. I O A C H. de K R A K E W I T Z, quem ut
 discipulum primo enixe noster amavit, ut professo-
 rem deinde Philosophum suspexit, ut collegam de-
 nique in omnibus officiis specialem et coniunctissi-
 mum deperit prorsus, propitia carissimi viri fata
 mox apud DEVM quoque sibi curae fore cordique
 aliquoties testatus. Nemo eundem vnquam facile
 vidit, nisi vel ministros DEI in publico templo au-
 scultantem, vel scribentem, vel legentem, vel prae-
 legentem, vel disputantem, vel aliqua saltem mu-
 nerum sibi commissorum parte sollicite defungen-
 tem. Omnibus ad ipsum aditus quouis tempore
 locoque patebat. Antiqui eidem mores absque
 omni pompa, fuce et fraude, summoque semper stu-
 dio cauit, ne cuiquam molestus esset vel euaderet
 grauis. In victu et vestitu omnia plana, sobria,
 modesta, luxus et elatioris Spiritus capitalis hostis.
 Aestate transeunte phosphoro surrexit, post deci-
 mam nocturnam cubitum iuit, hyeme lucubratio-
 nibus in longam vsque noctem protractis. Stu-
 diosam iuventutem in oculis tulit, commodis eius-
 dem die nocteque inuigilans. Bibliothecae hinc
 usum et quicquid in scriniis habebat, non concessit
 tantum, sed fere obtrusit. Vnde et illa eum non nisi
 blanda FECHTII patris appellatione insigniuit, tan-
 taque docenti turba affedit, ut auditoria, tum pu-
 blicum Academiae et maximum, tum priuatum ex-
 cipientes quandoque capere haud possent. Cum
 praecipuis et clarissimis Germaniae, Daniae, Sueciae,
 Borussiae, aliarumque nationum Theologis, Philo-
 logis et Philosophis, commercium litterarium per-
 petuum coluit, innumeras subinde epistolas et dan-
 do

do